

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Studium a cum fonte primo

Sedulo monendi sunt scolastici ut humilitate induti Christiana discant non contempnere quos cognoscunt, morum uicia quam uerborum amplius deuitare, sed casto cordi linguam exercitatam non conferre audeant quam etiam preferre consueuerant.

Hiis enim maxime est utile nosce, ita esse preponendas uerbis sententias ut preponitur animus corpori; ex quo fit ut ita malle debeant ueriores quam disertiores inuenire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos.

Augustinus in libro de catechizandis rudibus.

His ergo qui loquendi arte ceteris hominibus excellere uidentur, cum ueniunt, ut Christiani fiant, hoc amplius quam illis illitteratis impertire debemus, quod

sedulo monendi sunt, ut humilitate induti christiana discant non contempnere, quos cognouerint morum uicia quam uerborum amplius deuitare, et cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant quam etiam praeferre consueuerant.

Augustinus Hipponensis, *De catechizandis rudibus*, 9, 2 (CCSL 46, J. Bauer ed., p.135, ll.4-11).

His enim maxime utile est nosce, ita esse praeponendas uerbis sententias, ut praeponitur animus corpori. Ex quo fit, ut ita malle debeant ueriores quam disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quam formosiores habere amicos.

Augustinus Hipponensis, *De catechizandis rudibus*, 9, 4 (CCSL 46, J. Bauer ed., p.135, ll.21-25).